

Vd
909





h. 43, 40.

V 2
909.

I. D.

DV ABVS VT ORATIONIBVS

QV ARVM ALTERA GENERATIM

DE AVREO SECVLO

EXPONET

ALTERA

AVREA VERE SAXONIAE

ESSE TEMPORA

DEMONSTRABIT

CRAS IN AEDE SCHOLAE CATHE-

DRALIS HORA ANTE MERIDIEM IX.

HABENDIS

FREQVENTES INTERSINT OMNES QVI FELICI-

TATEM AETATIS AC PATRIAE NOSTRAE AGNOSCERE

ET DEO EIVS LARGITORI PROPTEREA GRA-

TIAS AGERE

SV ARVM ESSE PARTIVM EXISTIMANT

PRO SVQ QVEMQVE LOCO

SVBMISSA OFFICIOSE AC PERAMANTER

INVITAT

M. IO. GEORGIUS *Schulze*

RECTOR.

NVMBV RGI

IMPRIMEBAT BALTH. BOSSOEGELIVS.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



A. Ω.

Um non ita pridem litteras publicas, quae ad nos Dresda de rebus, quae per vniuersam Europam acciderunt, singularibus perscribuntur, legerem; non poteram non scriptoris approbare sententiam, adfirmantis, nostra tempora ita esse comparata, vt aurea iure appellari mereantur. Id quod si de vniuersa Europa, de quo nemo dubitat, verum est; de Saxonia profecto nostra longe verissimum sit, necesse est. Quae enim singula ad felicitatem regioni conciliandam pertinent: ea in patria nostra reperiuntur vniuersa. Si enim nulla regio felix haberi potest, nisi quae certa, firma et constanti pace fruitur; Saxonia profecto nostra ea nunc agit halcedonia, vt eius incolae sub sua quisque vite ac sicu suauissime degere possint. Atque huius diuini beneficii magnitudinem tum demum intelligemus; si in memoriam nobis reuocabimus temporum illorum miseriam, quibus patria nostra ab hostibus fuit diuexata. Quantae calamitates incubuerunt vniuersae Saxoniae, & nostro in primis Numburgotum, cum, victo ad Mulbergam principe electore, *Io. Friderico*, imperator Romanorum, *Carolus V.* huc veniret, *Iulium Pflugium* in eum, vnde motus fuerat, locum restitutus. Parum profecto aberat, quin victor iratus urbem hanc ferro ac igni vastaret, a qua laceffitum se coactumque tam longum, & cum tantis diffi-

difficultatibus coniunctum iter fuscipere, adfirmabat. Quam tristis & misera rerum Saxonicarum fuit facies tum, cum bello tricennali Saxones a caesarianis aequae ac Suecicis copiis, per vices veluti, omnibus iniuriarum generibus adficerentur. Quae miseria Numburgenses praecipue adflixit, quorum moenia Sueones ariete quatere, tecta quoque, iniectis facibus, vrere coeperunt, ideo quidem, quod princeps illorum elector, *Io. Georgius I.* in fide non permansisset, sed cum imperatore Romanorum, spreto contemptisque sociis, in gratiam Pragensi pacificatione rediisset. Horret profecto animus ac refugit recordari exquisitissimos cruciatus, quibus miseri Saxones excarnificati fuerunt ab iis, qui eadem cum ipsis sacra profitebantur. Neque est, quod mente & cogitatione in antiquiora redeamus tempora, ad eas, quae bellum adfert, calamitates declarandas; cum nostra aetate tristissimum eius rei documentum fuerit editum. Cum enim Sueonum rex, *Carolus XII.* in Saxoniam impressionem fecisset; miseri incolae, nulla habita ratione pacis, Ransstadii in ita, sexagenis supra modum imperatis, aliisque viis ita fortunis omnibus exhauriebantur, ut damnum illud nondum satis sarciri pensarique poterit. Quae mala, cum quibus bellum solet esse coniunctum, qui considerat, ille demum, quantum pretium paci & tranquillitati publicae statuendum

) 2

fit,

fit, intelliget: perinde ac firma valetudo recte aesti-
mari ab illo tantum potest, qui cum morbo, eoque
periculoso, diu multumque fuit conflictatus. An
dentur respúblicae, quarum plurimum interfit, sub-
lata pace, bellum ingruere; videant illi, qui earum
rationem cognitam habent atque perspectam. Sa-
xoniae profecto is status atque conditio est, vt, nisi
pace conseruata, florere & salua esse non possit.
Simul ac enim hostilis exercitus in illam olim irru-
ptionem fecit; statim agricultura cessauit, rerum-
que ad victum pertinentium caritas difficultasque
est consecuta. Nec artes qui sellularias exercent,
suo sibi labore victum comparare possunt, cum res
suas, singulari artificio confectas, vel hostium ra-
pacitati relinquere, vel iisdem exiguo pretio diuen-
dere coguntur. Quod dum fit, commercia florere,
rebusque & importandis & exportandis, neruus ille
reipublicae, pecunia, augeri non potest. Nisi forte
eorum approbanda sententia est, qui statuunt, res
venales non carius posse vendi, quam, bello exorto,
cum maxima militum multitudo regionem veluti
inundauit. Sed licet vnus & alter ex ciuium incom-
modo suum tum deriuare commodum possit; tan-
tum tamen abest, vt vniuersa Saxonum respública,
orta belli tempestate, bene se habere possit, vt po-
tius, illa diutius durante, ad incitas necessario redi-
gatur. Accedit, quod litterarum studia, musaeque
man-

mansuetiores, belli horrore veluti perterritae, fugiunt, non inuenientes, vbi tuto consistere, rebusque suis operari possint. Quid? quod, ruptis veluti legum repagulis, omnia scelerum flagitiorumque genera in regionem illam irrumpunt, quam saeuens Mars campum elegit, in quo excurrat, quantumque, summa imis miscendo, efficere valeat, demonstraret. His igitur malis omnibus liberati nunc sumus, beneficio perpetuae pacis nobis a Deo, opera *Augusti* nostri vere augusti, ex sententia tributo. Contra ea omnium ordinum homines ea felicitate perfruuntur, qua maior, ne votis quidem conceptis, fingi potest. Agriculae agros exercent, & aruis imperant, *rationem habentes cum terra, quae nunquam recusat imperium, nec vnquam sine vsura reddit, quod accipit: seu alias minore, plerumque maiore cum foenore.* Opifices res, arte sua factas, aequo pretio possunt diuendere, eoque vitae praesidia sibi suisque impetrare. Immo opificum officinae passim ita sapienter sunt institutae, vt nemo tam debilis sit ac infirmus, qui non possit, dummodo velit, suo se alere labore. Nundinae etiam & mercatus, qui multis locis habentur, canalium instar sunt, quibus ex longe remotis locis opes in patriam nostram deriuentur. Quid multa? exteri profecto iter facturi in regionem, bonis legibus moribusque excultam, & rerum omnium copia abundantem, in Saxoniam

excurrunt, tamquam in sedem omnium, quae homini accidere possunt, bonorum. Quamquam autem publica pax in Saxonia magnam omnino vim magnumque momentum habet, ad homines omni felicitatis genere cumulandos; non tamen tantum, ut in eo posita sint omnia. Nisi enim ad pacem civilem pax etiam illa, quam religiosam vocant, accedat; exiguus, aut nullus prorsus, ex illa in homines redundat fructus. Immo etiam si homines omnibus, quae vulgo expetuntur, bonis abundant; nisi tamen suo more sacra peragere ipsis liceat, felices se nunquam aestimabunt. Dentur sane hominibus opes ac diuitiae; dentur honores dignitatesque; dentur omnia, quae ipsis grata esse atque accepta possunt: nisi tamen iis libertas suo more Deum colendi relinquatur; tantum abest, ut propterea sibi felices videantur, ut potius se ipsi omnium miserrimos habeant. Id quod Salisburgensium, fidei nostrae ac religionis sociorum, exemplo constat: quippe qui pristinas sedes relinquere ac solum vertere maluerunt, quam diutius sub tristissimo seruitutis, ut loquuntur, spiritualis iugo gemere. Ex quo apparet, quanta sit nostra Saxonum felicitas, qui, licet sub potestate regis viuamus, qui Romanensium sacris se initiari passus est; ab eo tamen non impedimur, quo minus diuinam rem patrio more faciamus, Quo enim animo sit in coetus Lu-
the-

therani sacra rex noster clementissimus, vel ex eo liquido apparet, quoniam eius auspiciis, immo & impensis, decem aedes sacrae, in illius coetus vsu, ad huc fuere aedificatae. Quid illud? nonne maximi faciendum est? quod nihil adhuc fecit reliqui, quod ad scholas Lutheranorum tam superiores, quam inferiores emendandas, & in meliorem flatum transferendas pertinere videbatur? Quis itaque patrem hunc patriae indulgentissimum non in oculis ferat? quis non illum omni venerationis cultu prosequatur? quis opes non solum & fortunas, sed, si res ita ferat, vitam ipsam ac sanguinem pro illo profundere recuset? Ego vero nullum temere praetermitto diem, quin, cum disciplinae meae alumnis, summa animi religione Deum venerer, vt partem, annis nostris ademtam, aetati regis nostri adiiciat, quo sub eius imperio, tamquam sub firmissimo clypeo, tuti ab iis, quae nobis accidere possunt, calamitatibus delitescamus. Eo etiam consilio factum est, vt *IO. GVILIELMVM Nam / Numburgensem*, qui ita litteris ad huc operam dedit, vt morum in primis elegantiam adsumeret, ratus, se hac ratione gratiam apud summi loci homi-

70. 909 M.

homines facile initurum, iuberem, nouissime pro
 rostris scholasticis dicturum, demonstrare, aurea
 nunc vere Saxoniae nostrae fluere tempora. Cuius
 demigrationis societatem cum paulo ante petiisset
 IO. ANDREAS Kindler, Osterfeldensis, qui cho-
 ro symphonico adhuc cum fructu praefuit; auctor
 illi extitit, vt, ne diuersum a priore dicendi argu-
 mentum tractaret, de aureo generatim seculo ver-
 ba faceret. Quemadmodum autem ipsi suum esse
 putabunt, iis omnibus, a quibus beneficiis ornati
 sunt maximis, gratias agere prolixissimas; ita pro
 illis eximiae spei iuuenis, IO. FRIDERICVS
 Apel, Numburgensis, vota nuncupabit, Deum ve-
 neraturus, vt ipsorum conatus fortunet, & ad fi-
 nem perducatur exoptatissimum. Adeste itaque o-
 mnes, quibus volupe est, felicitatem suam perui-
 dere ac penitus cognoscere: adeste cras, bono cum
 Deo, loco ac tempore dicto, & audite iuuenes, fe-
 licissimum patriae statum exposituros, vobisque per-
 suadete, vos operam hanc hominibus non ingra-
 tis esse daturus. P.P. Numburgi Idibus Maiis.
 A. R. S. clo Idce XXXII.

✻ ✻ (*) ✻ ✻
 ✻

70



o
a
s
t
r
r
e
i
o
s
r
r
a
r

ULB Halle


3

007 672 195



VD 78





B.I.G.

Farbkarte #13

h. 43, 40

V 2
909

I. D.
DV ABVS VT ORATIONIBVS
 QVARVM ALTERA GENERATIM
DE AVREO SECVLO
EXPONET
 ALTERA
AVREA VERE SAXONIAE
ESSE TEMPORA

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

DEMONSTRABIT
CRAS IN AEDE SCHOLAE CATHE-
DRALIS HORA ANTE MERIDIEM IX.
 HABENDIS

FREQVENTES INTERSINT OMNES QUI FELICI-
 TATEM AETATIS AC PATRIAE NOSTRAE AGNOSCERE
 ET DEO EIVS LARGITORI PROPTEREA GRA-
 TIAS AGERE

SVARVM ESSE PARTIVM EXISTIMANT
 PRO SVO QVEMQVE LOCO
SVBMISSE OFFICIOSE AC PERAMANTER
 INVITAT

M. IO. GEORGIVS Schulze/
 RECTOR.

NVMBV RGI
 IMPRIMEBAT BALTH. BOSSOEGELIVS.

